Fragmentarium

prius et posterius dicebant, secundum quod neque numerorum ydeam constituunt. Bonum autem dicitur in eo quod quid et in quale et in ad aliquid. Etenim in eo quod quid dicitur ut puta deus et intellectus. Et in quali virtutes. Et in quanto mensuratum. Et in ad aliquid quod utile. Et in tempore tempus. Et in loco dieta. Et alia talia. Manifestum igitur quod non erit commune quod universaliter ad unum dicetur in omnibus predicamentis sed in uno solo. Similiter autem eorum que secundum unam ydeam una est doctrina et bonorum igitur omnium erit una doctrina. Sunt autem multe et eorum que sub uno predicamento sunt. Ut puta temporis in bello militaris, in egritudine medicinalis et mensurati in cibo, in laboribus autem gignastica. Queret autem quis quid volunt dicere per se unumquodque, siquidem de homine una et eadem ratio est que est hominis secundum enim quod homo nichil differt. Si autem neque secundum hoc quod bonum non tamen in perpetuum esse magis bonum erit. Sicut nec albius quod diuturnius eo quod una die. Phablius unum pitagorici dicere de ipso ponentes in bonorum sistitia quos unumquodque separatim de omni sermone secuntur bono. Dixerunt autem secundum unam ydeam que secundum se persequitur et diligitur. Factiva autem horum et custoditiva equalia aliter autem contrariorum prohibitiva propter hec dicuntur modo alio et alio. Manifestum igitur quod dupliciter dicitur bonum et hoc quidem secundum se, altera autem propter hec. Videntes igitur que ab utilibus secundum se intuentur si dicuntur secundum ydeam. Secundum se ponet quis que tantum ut querentur et solitaria persequuntur ut puta sapere et videre et voluptas quedam et honores. Hec enim et si propter aliud persequimur tamen secundum se bona ponet aliquis. Aut nichil aliud quam propter ydeas quare vanus erit ydea. Si autem et hec sunt eorum que secundum bonum, bonum idem in omnibus illis adaptare oportebit eandem, quemadmodum in cerusa et nive eam que albedinis. Honoris autem et sapientie et voluptatis alie et diverse rationes secundum quod bona. Non est igitur bonum commune quod est secundum ydeas. Sed qualiter

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. A 91.12, 4r – Legal or ecclesiastical list of names; Aristoteles Latinus, Ethica nova (Translatio antiquior) cum scholiis (https://fragmentarium.ms/view/page/F-mcnm/5111/48756)